



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 69. De conversione Magdalenæ. Mysterii punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

## MEDITATIO LXIX.

*De Conversione Magdalæ. Luc. 7.*

*Myst. pueri. i.*

**C**ONG. Prægustare incredibilem Christi in nos  
amorem.

**P**RÆL. I. Quomodo mulier peccatrix, Christo  
accumbente mensæ in domo Pharisæi, ingressa  
sit, portans Alabastrinum vas unguento plenum.

**P**RÆL. II. Intueri domum Pharisæi, cubiculum,  
&c.

**P**RÆL. III. Petere gratiam, ut benè præparati ac-  
cedamus ad Christum, orandi, & meditandi, &  
postulandi causâ.

**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Christus *ingressus*  
*domum Pharisæi discubuit. Luc. 7.*

**I**NTEL. Contemplemur personam Christi mensæ  
accubentis, ejus modestiam, continentiam,  
temperantiam, &c. **R**EFL. Comparemus cum  
hisco virtutibus nostram propensionem, & effusio-  
nem in cibum, & potum.

**V**OЛ. Sicut Christus cibo, & potu non est usus, ni-  
si quatenus proderant ad finem, ob quem à Patre  
erat missus. Sic nos, prout in *Fundamento* didici-  
mus, solum finem creationis, & vocationis nostræ  
in iis spectare decernamus. Doleamus, quod ab  
illâ intentione finis deviaverimus & statuamus  
benè intelligere, & servare Regulas de *victu tem- perando.*

*Pun-*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Collo.  
quia, & sermones Christi discubentis.

INTEL. Haud dubiè loquebatur illis de Regno  
Dei. Luc. 9. Ex abundantia enim cordis os loqui-  
tur. Matth. 12. REFL. Exploremus quid abundet  
in corde nostro. Si enim abundet rebellio carnis,  
sensuum, amorisque proprii, & mundani, expro-  
brabitur nobis illud. Matth. 12. Quomodo potestis  
bona loqui, cum sitis mali?

VOL. Accusemus coram Deo cor nostrum, quod  
abundat tot vanis, & saecularibus cogitationi-  
bus: inde verba otiosa, & saecularia. Agamus, ut  
fiat in nobis, quod Apostolus monet Ephes. §. im-  
plemini Spiritu Sancto, tunc dicere poterimus:  
eructavit cor meum verbum bonum. Ps. 44.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Et ecce mulier, qua-  
erat in civitate peccatrix ..., attulit alaba-  
strum unguenti. Luc. 7.

INTEL. Peccatrix illa, volebat postulare, & im-  
petrare remissionem peccatorum; sed antequam  
accedat ad orandum & postulandum, præparat  
alabaster unguenti. REFL. Nos hinc discamus an-  
tequam ad orandum accedamus, parare unguen-  
ta bonorum desideriorum, juxta illud Eccl. 18.  
*Ante orationem prepara animam tuam.*

VOL. Diligenter deinceps exequamur  
omnia, quæ S. P. Noster in libro Exercitiorum  
præscribit, tum pridie, tum ipso die manè,  
antè orationem; nec non in ipsâ Medi-  
tatione, & post eam; sic enim opti-  
ma

ma erit præparatio , & prosecutio orationis.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam bene lo-  
quendi cum Deo, & de Deo.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM,

## MEDITATIO LXX.

*De Conversione Magdalene. Luc. 7,*

Myst. punct. 2.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo mulier illa rigaverit la-  
chrymis, & unixerit pedes Jesu.

PRÆL. II. Intueri locum, in quō Christus dis-  
cumbebat.

PRÆL. III. Petere gratiam humilis, & veræ pœ-  
nitentiaꝝ, eamque promptè exequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Erat mulier illa  
*stans retrò secus pedes ejus. Luc. 7.*

INTEL. Mulier illa erat retrò stans, reputans se  
indignam, quæ faciem Christi aspiceret: perinde  
sicut publicanus *nolebant nec oculos ad Cælum  
levare. Luc. 18.* REFL. Hæc sunt signa veræ pœ-  
nitentis, ad quæ pœnitentiam, & compunctionem  
cordis nostri explorare possumus.

VOL. Dicamus cum pœnitente Davide Ps. 63.  
*Operuit confusio faciem meam, & indignos nos  
agnoscamus, qui, post peccata nostra, faciem  
Dei aspiciamus.*

PUN.